

denarios mutuare, & in illis libris CXLII. valeat instrumentum isti debiti, quod remanet penes eundem Barattam, & in aliis omnino sit cassum, & inutile, & inde hanc cartam. &c.

Conventio Terdonensium cum Alexandrinis, ut hi vias Januensibus claudant.

144

M C C X I.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCXI., indict. XIV., die Martis VI. intrante septembri, in Alexandria, & in Ecclesia majori D. Drudus Martellus potestas Alexandriae in credentia ejusdem civitatis collecta ad campanam sonatam consilio ipsius credentiae nomine, & vice communis Alexandriae promisit Magistro Oberto de Castellis nuncio communis Terdonæ stipulanti, quod commune civitatis Alexandriae claudet, & vetabit Januensibus, & terræ eorum stratas omnium victualium generi, & leguminum, & si opus fuerit, & placuerit consilio civitatis Terdonæ toti, vel majori parti aliquo modo in perpetuum, & quoties opus fuerit ipsas stratas clausas tenebit, & prohibebit bona fide, & sine fraude, donec fuerit voluntas consilii civitatis Terdonæ. Infra scriptus D. Drudus potestas, & consiliarii, inde ut supra hanc cartam fieri rogavere isto die, & loco feliciter.

Interfuerunt testes rogati D. Otho de Orto iudex communis Alexandriae civis Mediolanensis, & Albertus Saltarius, & Rainianus Saltarius.

Ego Jacobus S. Palatii Notarius rogatus interfui, & hanc cartam tradidi, & scripsi.

Investitura Rochettæ Pelasæ quibusdam Dominis concessa ab Ugone Episcopo Aquensi.

145

M C C X I I.

Anno Domini MCCXII., indictione XV., die Dominica V. intrante mense martio. In castro Rochettæ Pallasæ Domini de Rochetta, scilicet D. Willelmus, D. Ubertus Ardicio, Jacobus, & Assantus dant, cedunt, atque tradunt D. Ugoni Dei gratia Aquensis Ecclesiæ Episcopo suo nomine, & Aquensis Ecclesiæ, & omnibus ejus successoribus castrum, & villam Rochettæ cum omnibus pertinentiis jure comitali, & actionibus, ut ipse possit ulterius per se, & omnes ejus successores, cuilibet homini, vel hominibus loco, vel locis cuicumque, vel quibuscumque voluerint ex eo castro facere pacem, & guerram, & quidquid ei, vel ejus successoribus omni tempore facere libuerit sine aliqua eorum contradictione, vel suorum heredum ex sua plenissima auctoritate, prædicto viro Domino Episcopo intrante ipsius castri corporalem possessionem, & super turribus ipsius vexillis positus eundem castrum, & villam cum jam dictis accessibus, & honore memoratis Dominis reddit in feudum. Tali quoque modo facta fuit jam dicta investitura, videlicet quod jam dicti Domini eundem castrum, & villam tam per se, quam per eorum heredes, tam mulieres, quam mares legitime descendentes teneant, habeant, & in perpetuum possideant, & quod unus illorum Dominorum tam

emptione, quam ex successione alteri succedat. Item dicto Domino Episcopo, vel ejus successoribus dictum castrum, & turres non vetabunt munitum, atque scaritum. Ex qua quidem datione feudi, & investitura ipsi Domini, & omnes eorum homines de Rochetta, vel major pars prædictorum Dominorum mandato, eidem Domino Episcopo, & Aquensi Ecclesiæ jurejurando debitam fidelitatem præstarunt. Addentes quod dabunt operam bona fide, & sine fraude, quod omnia prædicta erunt in perpetuum observata inviolabiliter. Unde rogarunt mihi infra scripto cartas fieri ut supra. Interfuerunt testes vocati, & rogati presbyter Albertus de Rochetta, presbyter Johannes Mascarius de Bistagno, Anselmus Cularus, Otto de Concheto, Albertus Anardus, Bergognonus de Terc, & Anfermus de s^{na}. Hæc uno brevibus sunt facta tenore duobus. Ego Petrus Notarius Sacri Palatii interfui, & jussu ipsius Domini Episcopi, & dictorum Dominorum hanc cartam ut supra tradidi, & scripsi.

Hæc charta fuit extracta ex quodam alio instrumento Odonis Episcopi Aquensis edito anno millesimo trecentesimo decimo nono, die quarta maii, Bestagni, cui illam inseri ad utilitatem Aquensis Ecclesiæ, & ad perpetuam memoriam prædictus Episcopus curavit.

Jura Aquensis Eccl. in quadam Meladii possessione.

M C C X I I.

146

Anno Dominicæ Nativitatis MCCXII., indictione XV., die Veneris VI. mensis madii (1). In Aquis coram D. Anselmo Aquensi præposito, & Odezono Aquensi canonico, & Archipresbytero de Meladio confitetur Guido Ricardus de Meladio terram, quam habet in territorio Meladii ad oram sancti Damiani, cui coheret via, Vilelmus Blancus, Petrus Verz, & Rubaldus de Cavatorio, quod tenet eam, & possidet pro Ecclesia Aquensi, & quod ex ea reddit, & reddere debet eidem Ecclesiæ drietum, & decimam, & nec habet eam vendere, neque alienare ullo modo sine consensu, & voluntate Aquensium Canonorum, unde dictus Guido sic confitendo, ut supra jam dictis præposito, & Archipresbytero nomine Aquensis Ecclesiæ tam ille, quam ipsi hanc cartam fieri rogaverunt, ut supra. Interfuerunt Pavar, & Tafurnus de Campalo, & Nicolaus de Plaxano testes rogati. Ego Ogerius Palatinus Notarius rogatus interfui, & hanc cartam scripsi. Inde ego Leo de Gratarola de Bestagno Notarius Publicus ad requisitionem Antonii filii quondam D. Manuelis de Rochetta Pelasæ hoc instrumentum manu Petri Notarii &c.

(1) Non VI., sed IV. mensis madii.

Positiones in quadam causa de feudo Boschi ex chartulario Monasterii de Tilieto.

M C C X I I.

147

Anno Domini MCCXII. ante Ecclesiam S. Petri de Bosco, videlicet ante Ostium S. Nicolai D. Otto marchio de Bosco fecit authenticare sequentes positiones. . . . Arnaldus de Meladio testatur, quod antequam Alexandria fuisset levata,